

3. Auxilia victus, manus, medicamentorum, una cum vera methodo applicandi, prout casus, vel ars, obtulit, exponit.
4. Ea, quae ex hisce tribus, ut ex datis, juxta (13.) dictam legem effectu rationis verissime deduci queunt ita, ut pro regulis Praxios accipi tuto possint, concludendo elicit.
15. Multitudo quidem morborum his ordinandis officit.
16. Sed ordinem dictat: 1. clarior morbi notitia. 2. simplicior ejus natura. 3. facillima sanatio. 4. ejus requisita ad alium intelligendum cognitio.
17. Ex quo fundamento (16.) omnes sequenti serie tractabimus.
18. Morborum itaque simplicissimorum species, & curatio praemittenda reliquis.
19. Solidarum ergo partium morbi explicandi & sanandi primum locum postulant.
20. Fibrae simplicissimae solidae morbi explicati, sanati, inter hos (19.) denique primi sunt,

## MORBI FIBRAE SOLIDAE SIMPLICIS.

21. Illae partes, quae ex fluido vasis contento secretae, sibi mutuo vi vitae,

tae, & ope glutinis tenuissimi, aquosi, pinguive, applicatae, fibram minimam faciunt, sunt minimae, simplicissimae, terrestres, vixque mutabiles per eas causas, quae in nobis viventibus deprehenduntur.

22. Quare in his(21.), separatim spectatis, nullus occurrit morbus, qui Medicis observatus, sanatusque describitur.

23. Sed in fibra minima, ex adunatis his (21.) concreta, morbi simplicissimi sequentes, (24. ad 38.) considerari merentur: sunt enim frequentes, & fundamenta jacint intellectui aliorum, licet praetervisi, vel non bene cogniti.

### MORBI FIBRAE DEBILIS ET LAXAE.

24. Fibrae (23.) debilitas vocatur adunatio partium minimarum (21.) cum nisu in cohaesionem tam parvo, ut vel illo levi motu solvi queat, qui Sanitatis effectu fit, vel non multum majori.

25. Hanc (23.) antecedunt: 1. impedita ingestorum assimilatio in naturam liquidi vitalis sani; quae debetur jacturae nimiae humoris boni, & inertiae virium solidorum in liquida; vel alimentis magis tenacibus sua indole, quam virium permutantium in corpore virtus est, 2. debili-

A 3 obseruatis lis